

1 classis; Vesperæ dicuntur integræ de S. Rumoldo, sine Commemoratione S. Pauli.

Die 14 Maji, supponitur celebrari dies Octava Ascensionis Domini; die 15 Maji celebratur Festum S. Dympnæ, Virginis et Martyris, duplex 1 classis in locis quorum est Patrona, aut in Ecclesiis quarum est Titularis; Vesperæ ibi dicuntur de sequenti Festo S. Dympnæ, cum Commemoratione diei Octavæ Ascensionis Domini.

Die 29 Junii, celebratur Festum duplex 1 classis SS. Apostolorum Petri et Pauli; supponitur esse Feriam II, et die præcedenti, 28 Junii, factum fuisse Officium de Dominica VI post Pentecosten; Vesperæ erunt de Festo SS. Petri et Pauli, absque Commemoratione præcedentis Dominicæ communis.

Die 8 Decembris, celebratur Festum duplex 1 classis Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V.; supponitur esse Feriam II, et die præcedenti, 7 Decembris, factum fuisse Officium de Dominica II Adventus; Vesperæ erunt de Festo Immaculatæ Conceptionis, sed cum Commemoratione præcedentis Dominicæ majoris.

b) Festum duplex 1 classis, in secundis suis Vesperis, rejicit Commemorationem tantum sequentis Festi simplicis, aut sequentis diei infra Octavam communem.

Exempla: Die 7 Novembris, celebratur Festum Diocesanum S. Willibrordi, Episcopi et Confessoris, duplex minus; in locis quorum est Patronus, et in Ecclesiis quarum est Titularis, ejus Festum est duplex 1 classis; die sequenti, 8 Novembris, fit Officium de die Octava Omnium Sanctorum, cum Commemoratione occurrentis Festi simplicis SS. Quatuor Coronatorum, Martyrum. In secundis Vesperis S. Willibrordi, Patroni aut Titularis, fiet quidem Commemoratio sequentis diei Octavæ, sed non Festi simplicis.

Supponitur Dominicam III post Pascha occurrere aliquo anno 26 Aprilis; in ea celebratur Festum Patrocinii S. Joseph, duplex 1 classis in Diocesi Mechliniensi; et die sequenti, 27 Aprilis, fieri Officium de die infra Octavam S. Georgii, Martyris, in locis quorum est Patronus, et in Ecclesiis quarum est Titularis; in secundis Vesperis Festi Patrocinii S. Joseph, nulla fiet Commemoratio de die infra Octavam S. Georgii, etiamsi die sequenti de ea fiat Officium.

2° a) Festum duplex 2 classis, in primis suis Vesperis, rejicit Commemorationem tantum præcedentis Festi semiduplicis, Dominicæ communis, et diei infra Octavam communem; omnem aliam concurrentis Officii Commemorationem admittit.

Exempla: Die 28 Septembris, celebratur Festum semidu-

plex S. Wenceslai, Ducis et Martyris; die 29 Septembris, celebratur Festum Dedicationis S. Michaelis Archangeli, duplex 2 classis; Vesperæ dicuntur de sequenti, sine Commemoratione præcedentis.

Anno 1904, Festum S. Jacobi Apostoli, duplex 2 classis, quod celebratur 25 Julii, occurrit in Feria II; pridie dictum fuit Officium de Dominica IX post Pentecosten, quæ est Dominica communis; die Dominica dicuntur Vesperæ primæ de Festo S. Jacobi, et nulla fiet Dominicæ præcedentis Commemoratio.

Anno 1902, Festum S. Mathiæ Apostoli, duplex 2 classis, quod celebratur 24 Februarii, occurrit in Feria II; pridie dictum fuit Officium de Dominica II in Quadragesima, quæ est Dominica major 2 classis; die Dominica dictæ fuerunt Vesperæ primæ de Festo S. Mathiæ; sed præcedentis Dominicæ majoris fuit facta Commemoratio.

b) Festum duplex 2 classis, in secundis suis Vesperis, admittit jam omnem cujuscumque Officii sequentis Commemorationem, præter unam, scilicet sequentis diei infra Octavam communem; attamen, si die sequenti de die infra Octavam communem fiat Officium, et non tantum Commemoratio, etiam in secundis Vesperis Festi duplicis 2 classis ejus instituetur Commemoratio. (Cfr. Q. 164, ad 3<sup>um</sup>.)

Exemplum: Anno 1903, die 2 Julii, Feria V, celebratur Festum Visitationis B. Mariæ V., duplex 2 classis; omissa fuit in hoc Festo, ratione ritus duplicis 2 classis, Commemoratio utriusque diei infra Octavam tum SS. Apostolorum Petri et Pauli, tum S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, quæ in Diocesi Mechliniensi occurrunt (cfr. Q. 164, ad 3<sup>um</sup>); sequenti Feria VI, die 3 Julii, pro Diocesi Mechliniensi præscribitur Officium de 5 die infra Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Commemoratio de die infra Octavam S. Rumoldi; Vesperæ die 2 Julii dicuntur secundæ Festi Visitationis B. Mariæ V.; nihil fiet in eis de Octava S. Rumoldi, sed dicetur Commemoratio de die infra Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli, quia die sequenti de ea fit Officium.

Ex his diversis exemplis patet, quod notatum fuit Quæstione 164 in Nota, quomodo Officia quædam quæ in Occurrentia jus habent ad Commemorationem, possint illud jus amittere in suis Vesperis propter Concurrentiam; singulare quidem videtur, exempli gratia, Dominicam communem, quæ in Occurrentia semper, etiamsi occurrat Festum duplex 1 classis, jus retinet ad Commemorationem in utrisque Vesperis, in Matutino



et in Laudibus, jus ad Commemorationem pro suis secundis Vesperis amittere, si concurrerit cum Festo duplici 1 vel 2 classis; item Festa duplicia minora et semiduplicia, ad instar Simplicis redacta, quæ in Occurrentia plerumque jus habent ad Commemorationem (Q. 163), in Concurrentia jus amittere, duplicia quidem si sequitur Festum Duplex 1 classis, semiduplicia autem, si sequitur Festum duplex 2 classis. (Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Aprilis 1875, n. 3352, antiq. 5607, ad 8.)

His itaque exceptis, cæterorum omnium Officiorum concurrentium tam active quam passive, numquam omittitur Commemoratio.

NOTA. Infra Octavam Nativitatis Domini plura celebrantur Festa duplicia 2 classis, in quibus regulæ Occurrentiæ et Concurrentiæ, quoad Commemorationem dierum infra Octavam non observatæ reperiuntur; animadvertendum est, per totam hanc Nativitatis Domini Octavam singularia quædam præscribi quoad Officiorum ordinem, quæ exceptiones constituunt non in exemplum producendas.

Q. 193. *Cum juxta Rubricas de eodem Sancto, vel Mystero bis fieri Commemoratio prohibeatur, quomodo ordinandæ erunt Vesperæ, si duo Officia de eodem Sancto, vel Mystero concurrant?*

R. Prænotatur quod ubi duo Officia de eodem Sancto concurrunt, adest identitas subjecti, quæ sufficiens est ut de eodem bis non fiat. Et ita ubi concurrunt duo Festa quæcumque de B. Maria V., de utroque in Vesperis fieri nequit. Ita etiam concurrente Officio Sacræ Familiæ Jesu, Mariæ et Joseph, in quo recolitur subjectum complexum, nempe præter Dominum B. Maria V. et S. Joseph, cum alio Officio B. Mariæ V. vel S. Joseph, de utroque in Vesperis fieri non potest, ne bis fiat Commemoratio ejusdem B. Mariæ V. vel S. Joseph.

Quando autem duo Officia Domini concurrunt, potest fieri quod eadem Officia ad idem Mysterium referantur; adest tunc identitas subjecti et objecti, quæ requiritur ut de eodem bis fieri non possit; qualis identitas habetur in Officiis de SS. Sacramento concurren-

tibus cum Officiis de Passione Domini, de S. Cruce, de Sacro Corde Jesu, de Pretiosissimo Sanguine Domini, SS. Redemptoris. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 3 Julii 1896, n. 3924, ad 4.) — Ast fieri etiam potest quod Officia Domini concurrentia pertineant ad diversa Mysteria, quæ non sunt eadem juxta eundem respectum et rationem eandem, puta Ascensionis, Transfigurationis, SS. Corporis Christi, etc.; in tali casu non adest utraque identitas requisita subjecti et objecti, et de utroque quidem fieri debet. Quod confirmatur Decreto S. Rituum Congregationis, 4 Martii 1901, *Atrebaten.*, quo rescipsit in concursu Festi Sanctæ Familiæ Nazarenæ cum primis Vesperis Sacræ Coronæ Spineæ Domini nostri, dividendas esse Vesperas juxta Rubricas; adest enim identitas subjecti in utroque Festo Domini, sed non adest identitas objecti, et ideo de utroque est faciendum. Quibus prænotatis, respondetur:

Quando concurrunt duo Festa vel Officia ejusdem Sancti, — vel duo Festa vel Officia Domini quæ versantur in eodem Mystero, seu in quibus adest identitas subjecti et objecti —, tunc:

1<sup>o</sup> Si Festa vel Officia sunt inæqualia ratione ritus, vel qualitatis, vel dignitatis, Vesperæ fiunt integræ de Festo vel Officio quod est potioris ritus, aut primarium, aut dignius ratione personæ, et alterius nulla fit Commemoratio.

Exempla: Anno 1899, die 22 Januarii, Dominica III post Epiphaniam, Festum duplex majus Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph, concurret in Diocesi Mechliniensi cum Festo Desponsationis B. Mariæ V. Ratione dignioris personæ Domini Vesperæ dictæ fuerunt integræ de Festo Sacræ Familiæ; sed cum in hoc Mystero honorentur etiam B. Maria V. et S. Joseph, ne bis fiat de eisdem subjectis declaravit S. Rituum Congregatio Commemorationem sequentis Festi Desponsationis esse omittendam. (Decret. 27 Junii 1899, n. 4042, ad 3.)

Anno 1900, Sabbato, 15 Septembris, celebratur dies Octava Nativitatis B. Mariæ V.; concurret dies Octava cum primis Vesperis Festi Septem Dolorum B. Mariæ V., duplicis majoris, celebrati in Dominica III Septembris; prævalet Festum Septem Dolorum, et de eo dicuntur Vesperæ integræ (Q. 190, 3<sup>o</sup>), de die Octava Nativitatis vero nulla amplius fit Commemoratio.

Anno 1897, die 11 Septembris, fit Officium de 4 die infra Octavam Nativitatis B. Mariæ V.; dies sequens, 12 Septem-



bris, est Dominica, in qua celebratur Festum mobile SS. Nominis B. Mariæ V., duplex majus; Vesperæ erunt integræ de sequenti, sine Commemoratione præcedentis diei infra Octavam.

Anno 1904, 3 Martii, Feria V, dicitur Officium votivum de SS. Eucharistiæ Sacramento, semiduplex; 4 Martii, Feria VI post Dominicam II in Quadragesima, celebratur Festum Sacratissimæ Sindonis D. N. J. C., duplex majus; Vesperæ dicuntur integræ de sequenti duplici majori, et de præcedenti Officio votivo nulla fit in Vesperis Commemoratio. (Decreta S. Rituum Congregationis, 18 Julii 1884, n. 3612, ad 2, antiq. 5914, ad 3; et 13 Januarii 1899, n. 4006, ad 2.)

2º Si Festa vel Officia sunt in omnibus æqualia, Vesperæ fiunt integræ de Festo vel Officio præcedenti, et nulla fit Commemoratio sequentis.

Exempla: Supponitur concurrere duo Officia de Passione Domini in Quadragesima, ex. gr., Officium SS. Sindonis D. N. J. C. translatum fuit de Feria VI post Dominicam II in Quadragesima ad Feriam V sequentem, et in Vesperis concurrunt cum primis Vesperis Officii SS. Quinque Vulnerum D. N. J. C., celebrandi Feria VI post Dominicam III in Quadragesima. Hæc duo Officia sunt æqualia in ritu, classe, qualitate et dignitate. Tunc Vesperæ dicuntur integræ de præcedenti Officio SS. Sindonis, et de sequenti Officio SS. Quinque Vulnerum nihil fit. (Decret. S. Rituum Congregationis, 11 Aprilis 1840, n. 2802, ad 5, antiq. 4878, ad 7.)

Anno 1902, 17 Aprilis, Feria V, dicitur Officium votivum de SS. Eucharistiæ Sacramento, semiduplex; die sequenti, 18 Aprilis, Feria VI, dicitur Officium votivum de Passione D. N. J. C., item semiduplex; est hæc Concurrentia Officiorum æqualium; Vesperæ Feria V dicuntur integræ de præcedenti Officio SS. Sacramenti, et in Vesperis ejus nihil fit de sequenti Officio Passionis. (Decret. S. Rituum Congregationis, 24 Novembris 1883, n. 3597, antiq. 5896, Dubium IV.)

NOTA. Singularis est quæ fuit statuta dispositio in Concurrentia diei Octavæ SS. Corporis Christi, quæ ritus duplicis minoris tantum est, cum sequenti Festo SS. Cordis Jesu, quod ritu duplici 1 classis gaudet: etenim per Decretum Urbis et Orbis, 28 Junii 1889 (n. 3712), præscribitur ut « Vesperæ integræ fiant de eadem Octava, sine ulla Commemoratione, attenta indole peculiari utriusque Festi. » In utroque enim Festo præcipue amor Jesu recolitur, qui utriusque est objectum. Et Vesperæ de die Octava debent dici integræ absque Commemoratione sequentis Festi Sacratissimi Cordis Jesu, etiam in iis Ecclesiis quarum SS. Cor Jesu

est Titulus, et proinde ejus Festum est primum per accidens. (Decret. 27 Junii 1896, n. 3919, ad 11.) Servata Concurrentiæ lege, diceres potius debere fieri de sequenti; attamen sapientius visum fuit, classis consideratione postposita, illi Officio dare prælationem, quod magis est substantiale; siquidem in SS. Eucharistia SS. Christi Cor continetur; et insuper de hoc nonnisi symbolum publico cultui exponitur, dum de illo habemus et feliciter ipsissimam realem præsentiam. Vesperæ insuper de præcedenti respondent quasi Vesperis de sequenti, unde tamquam ritus duplicis 1 classis considerantur, adeo ut Festi duplicis ad instar Simplicis redacti Commemorationem excludant. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, III, 1889, pag. 445.) Ideo, ex. gr., anno 1902, 5 Junii, facta in primis Vesperis diei Octavæ SS. Corporis Christi, et in Laudibus Commemoratione occurrentis Festi S. Bonifacii, Episcopi et Martyris, duplicis ad instar Simplicis redacti, hujus Commemoratio omisa fuit in secundis Vesperis. (Decret. S. Rituum Congregationis, 20 Maji 1890, n. 3731, ad 2.)

Q. 194. *Quis ordo servandus est inter Commemorationes, quando plures ratione Concurrentiæ in Vesperis faciendæ sunt?*

R. Prænotatur 1º: Sicuti plura eadem die occurrere possunt Officia, et de uno tantum eadem die dici potest Officium, facta reliquorum repositione, aut Commemoratione, si tamen hæc non impediatur; ita a fortiori plura in Vesperis concurrere possunt Officia, ubi simul conveniunt Officia quæ duabus se sequentibus diebus in propria sede remanserunt; attamen Vesperæ integræ de uno tantum dici possunt, aut ad summum Vesperæ dimidiatæ de duobus tantum ex variis concurrentibus Officiis; et cum in Concurrentia locum non habeat repositio, reliquorum Officiorum concurrentium fient, nisi impediatur, Commemorationes, quarum, ut patet, ordo per regulas determinandus est.

Prænotatur 2º: Quæstio hæc multis controversiis locum dedit, maxime postquam Duplicia minora et Semiduplicia impedita ad instar Simplicium redigenda Rubricæ immutatæ indixerant (Q. 163 in Nota); op-



316 (Q. 194) De Regulis in Concurrentia servandis

portunam solutionem dedit S. Rituum Congregatio, per Decretum generale Commemorationum in Vesperis, diei 5 Februarii 1895 (n. 3843), quo declaravit et statuit sequens responsum :

Respondetur : Post Orationem diei, scilicet Officii cujus dictæ fuerunt Vesperæ aut integræ, aut a Capitulo, ante ceteras Commemoratio semper agenda est de alio cujuscumque ritus Festo, seu Officio quod concurrat, si locum habeat : itaque semper proponuntur illæ Commemorationes quæ ad Officium pertinent ; deinde reliquæ fient Commemorationes juxta ordinem sequentem :

- 1° de Dominica privilegiata ;
- 2° de die Octava ;
- 3° de Duplici majori ;
- 4° de Duplici minori ad instar Simplicium redactis ;
- 5° de Dominica communi ;
- 6° de die infra Octavam SS. Corporis Christi ;
- 7° de Semiduplici ;
- 8° de die infra Octavam communem, ad simplicem ritum pariter redactis ;
- 9° de Feria majori, vel Vigilia ;
- 10° de Simplici.

Hic ordo præscribitur a Rubricis generalibus Breviarii reformati vi Decreti 11 Decembris 1897 (Tit. IX, n. 11), et in Tabella Concurrentiæ quæ in initio Breviarii describitur.

Exempla : 1. Die 3 Novembris, in Diœcesi Mechliniensi celebratur Festum duplex minus S. Huberti, Episcopi et Confessoris ; est etiam dies tertia infra Octavam Omnium Sanctorum ; anno 1901, erat dies Dominica, XXIII post Pentecosten ; in hac Dominica celebrandum veniebat Festum mobile Patrocinii B. Mariæ V., duplex majus. Ex legibus traditis pro Officiorum Concurrentia, in Capite I hujus Sectionis, novimus celebrandum esse hac die 3 Novembris Festum Patrocinii B. Mariæ V., et de reliquis fieri tantum Commemorationem. — Sequenti die, 4 Novembris, celebratur Festum duplex minus S. Caroli, Episcopi et Confessoris, in qua occurrit etiam Festum simplex SS. Vitalis et Agricolæ, Martyrum. — Sex numero igitur Officia sunt, de quibus in Vesperis diei 3 Novembris agendum est.

Juxta regulas traditas pro Concurrentia Officiorum (QQ. 186 et sqq.), dicendæ sunt Vesperæ integræ de Festo duplice majori Patrocinii B. Mariæ V. ; quinque autem fient post Orationem diei, seu Festi Patrocinii B. Mariæ V., Commemoratio-

De Regulis in Concurrentia servandis (Q. 194) 317

nes : prima erit de Festo quod concurrat, S. Caroli ; et ex applicatione ordinis supra traditi dicentur reliquæ Commemorationes : 2° S. Huberti (Duplicis minoris ad instar Simplicis redacti, n° 4 ordinis) ; 3° Dominicæ (quæ communis est, n° 5 ordinis) ; 4° Octavæ Omnium Sanctorum (diei infra Octavam communem, n° 8 ordinis) ; 5° SS. Vitalis et Agricolæ (Festi simplicis, n° 11 ordinis).

2. Die 6 Octobris, occurrit Festum duplex minus S. Brunonis, Confessoris ; anno 1901, est dies Dominica, XIX post Pentecosten ; in ea, quæ prima mensis Octobris est, celebratur Solemnitas SS. Rosarii B. Mariæ V., Festum mobile, duplex 2 classis, facta Commemoratione S. Brunonis et Dominicæ. — Die sequenti, 7 Octobris, celebratur Festum simplex S. Marci, Papæ et Confessoris, cum Commemoratione alterius Festi simplicis SS. Sergii et Sociorum, Martyrum. — Ordinandæ sunt Vesperæ.

Vesperæ dicuntur integræ secundæ de SS. Rosario ; deinde, etiamsi primo aspectu singulare et inordinatum videatur, agenda est ante ceteras Commemoratio Festi quod concurrat, nempe Festi simplicis S. Marci ; sequentur dein Commemorationes S. Brunonis, Dominicæ communis, et SS. Sergii et Sociorum.

Si quis die 7 Octobris, Feria II, recitaret Officium votivum de SS. Angelis, loco Officii Festi simplicis S. Marci, in Vesperis SS. Rosarii, fieret primum Commemoratio concurrentis Officii de SS. Angelis, et S. Marci Commemoratio fieret tantum, quia in casu non amplius concurrat, post Commemorationes S. Brunonis et Dominicæ, ante Commemorationem SS. Sergii et Sociorum.

NOTA. Quædam sunt Commemorationes, quæ in Vesperis faciendæ sunt ratione concomitantæ, et quæ extra ordinem omnino sunt ; scilicet Commemoratio S. Pauli, Apostoli, faciendæ in Festis S. Petri, Apostoli ; et Commemoratio S. Petri, faciendæ in Festis S. Pauli (de quibus jam dictum fuit ad Q. 165, Nota I) ; item Commemoratio S. Joseph, ubi concessa est, in Festo Desponsationis B. Mariæ V., 23 Januarii (ibid. Q. 165, Nota II). Hujusmodi Commemorationes dicuntur semper immediate post Orationes S. Petri, aut S. Pauli, aut Desponsationis B. Mariæ V., nulla alia interposita, idque ob rationem unicam concomitantæ. Ita notatur in Rubricis generalibus, vi Decreti 11 Decembris 1897 reformati (Tit. IX, n. 11).

Casus Concurrentiæ proponere necesse non habetur, post varia ad singulas regulas et exceptiones tradita exempla, quæ sufficient ut valeant rationes investigari



eorum quæ in Directorio præscribuntur, et debitæ solutiones dari in casu celebrationis Patroni loci vel Tituli Ecclesiæ.

## TABELLA CONCURRENTIARUM

Quemadmodum pro Occurrentia Officiorum, ita etiam pro eorundem Concurrentia describitur in Breviario Romano post Rubricas generales Tabella, in qua statim videri potest, quomodo Officium præcedens concurrat in Vesperis cum Officio sequentis diei, quæ Tabella hic describitur.

## QUANDO CONCURRIT

Dominica primæ et secundæ classis,	0	4	3	4	4	3	3	3	3	8	0
Dominica per annum,	0	4	3	4	4	3	3	1	1	1	0
Duplex primæ classis,	2	2	4	2	4	4	4	6	4	6	4
Duplex secundæ classis,	4	4	4	4	4	4	4	3	6	3	4
Patronus seu Titulus Ecclesiæ,	2	2	4	2	4	4	4	6	4	6	4
Duplex per annum majus,	4	4	4	4	4	4	6	1	3	1	4
Duplex per annum minus,	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	4
Semiduplex,	4	4	3	4	5	3	3	1	1	1	5
Dies Octava,	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	4
Dies infra Octavam,	0	0	3	4	3	3	3	1	1	1	5
1. Totum de sequenti, nihil de præcedenti.	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	cum Dominica quacunque
2. Totum de præcedenti, nihil de sequenti.	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	Duplici primæ classis
3. Totum de sequenti, Commemoratio de præcedenti.	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	Duplici secundæ classis
4. Totum de præcedenti, Commemoratio de sequenti.	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	Patrono, seu Titulo Ecclesiæ
5. Capitulum de sequenti, Commemoratio de præcedenti.	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	Duplici per annum majore
6. Totum de digniori, Commemoratio de minus digno; in paritate dignitatis, a Capitulo de sequenti.	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	Duplici per annum minore
Simplex, et S. Maria in Sabbato, Feria, et Vigilia non concurrunt.	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	Simplici
	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	Semiduplici
	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	Die infra Octavam
	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	Die Octava
	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	Sanceta Maria in Sabbato

Methodus utendi hac Tabella eadem omnino est, quæ pro Tabella Occurrentiarum fuit descripta post Q. 166.

## SECTIO III

## De Horarum partibus

Post traditas regulas ad integrum Officium spectantes, in hac ultima Sectione exponuntur quædam observanda pro quibusdam minoribus Officii partibus. De his partibus jam dictum fuit in Sectione I Capitis II Partis I, sed quæ ibi proposita fuerunt generaliora sunt; nunc autem proponuntur quædam quæ ex regulis in duabus præcedentibus Sectionibus traditis facilius intelliguntur, quam si in Parte I Tractatus fuissent exposita.

## § 1. De Hymnis

Q. 195. *Quid intelligitur per Doxologiam Hymnorum, et quomodo distinguitur?*

R. I. Doxologia vocatur conclusio, seu ultima strophæ Hymnorum, in qua plerumque vel invocatur SS. Trinitas, vel prædicatur SS. Trinitatis gloria, sicut in fine Psalmorum hæc exprimitur per *ψ. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, etc.*

II. Distinguitur Doxologia communis et propria.

A) Doxologia communis ea est in qua præter SS. Trinitatis invocationem vel gloriam nihil aliud exprimitur; qualem exhibent Hymni ad Horas in Psalterio, ex. gr., ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam, ad Completorium: *Præsta Pater piissime, Patrique compar Unice, Cum Spiritu Paraclito, Regnans per omne sæculum. Amen.*

Variæ tamen sunt formulæ istius communis Doxologiæ: ex. gr., ad Vesperas et Laudes in Officiis de Adventu: *Virtus, honor, laus, gloria etc.*; — ad Vesperas in Festo Omnium Sanctorum: *Deo Patri sit gloria, Natoque Patris unico, etc.*; — ad Vesperas de Comuni Apostolorum: *Patri, simulque Filio, Tibique, sancte Spiritus, etc.*; — et aliæ his similes, quæ non proponunt nisi solam et nudam laudem SS. Trinitatis.

B) Propria dicitur Doxologia, in qua vel non prædicatur Trinitatis gloria, vel præter gloriam vel invocationem Trinitatis aliquid aliud exprimitur, nempe allusio fit ad id quod in serie Hymni tractatum fuit; et hæc sic alligata est suo Hymno, ut ab eo numquam